

nihil vult aliud precari, nisi peccatis suis veniam, A licet nulla sint.

Quod ideo Deum permittere malum grassari sentit, ut virtutis ratio constet (*Lib. v, cap. 7*). Hoc sine scribit permittere Deum errores (*Lib. II, cap. 17*); hoc sine diabolum a Deo excitatum ait, libro de Opificio Dei, c. 20. Hoc sine tantam vim natricum viperarumque factam a Deo putat (*Lib. VII, c. 4, et libro de Ira Dei, c. 13*).

Quod quoties oramus, credere non vult, tentari nos a Deo, an simus digni exaudiri (*Lib. VI, c. 13*).

Quod militiam homini justo non licitam esse putat, nec accusare quemquam crimine capitali (*Lib. VI, c. 20*).

Quod animas scribit post mortem in una communi custodia detineri, donec tempus adveniat, quo maximus Judex meritorum faciat examen (*Lib. VII, c. 21*).

Quod de fine sæculi, novissimo iudicio et imperio mille annorum, periculosas opiniones, lib. VII, c. 14, 15, 16, 17, etc., inseruit. Ex illis enim liquet, Lactantium contra Scripturam duas asseruisse resurrectiones, alteram ad aureum sæculum millenarii, alteram ad destructionem diaboli et impiorum; duo item iudicia universalia. Liqueat statuisse eum tantum pios, non autem et impios iudicatum iri.

Quod denique mire negatur non solum de Antichristo, verum de adventu etiam Helix in terram, conversuro multos ad Dei cultum (*Lib. VII, c. 17*).

Fuere qui Manichæismi quoque Lactantium accusare non dubitaverunt. Sed quia nec Hieronymus, nec quisquam alius veterum hunc in Lactantio erro-

rem animadvertit, quia item vetusti codices non habent ea, quæ in recentioribus editionibus pro Manichæis facere videbantur, apparet inde, hujus quoque auctoris libros a Manichæo quodam fuisse interpolatos.

Nævi chronologici.

Quod Mosen nongentis fere annis Trojanum excidium antecessisse scribit, cum Eusebius tantum trecentos quinquaginta numeret. Sed hæc controversia adhuc est sub iudice. Multi enim ejusdem sunt opinionis ac Lactantius.

Quod imperium regum Israelitarum annis quadringentis sexaginta desinit, doctioribus chronologis annos quingentos et quindecim numerantibus (*Lib. IV, c. 5*).

Nævi philosophici sunt :

Quod antipodes esse negat (*Lib. III, c. 22*).

Quod inter alias summi boni condiciones et hanc ponit, ut solius sit animi, nec communicari possit cum corpore (*Lib. III, c. 9*). At, inquam ego, si summum bonum hominis quaeritur, homo autem non ex sola anima, sed ex anima et corpore simul consistat, utique non solius animi, sed animi et corporis simul summum bonum erit : quemadmodum immortalitas, quam Lactantius summum bonum nominat, ad corpus pariter et animam referetur.

Quod reprehendit viri boni definitionem Ciceronianam, qua nemini nocere vir bonus dicitur, nisi injuria laces-itus (*Lib. VI, c. 18*), cum Cicero non de privata, sed publica vindicta loquatur.

ANNOTATIONES CENSORIÆ

IN QUÆDAM LACTANTII ERRATA, EX CODICE MANUSCRIPTO BIBLIOTHECÆ REGIÆ

NUMERO MDCLXXIII, INTER THEOLOGOS, IN-FOLIO.

LUCII CŒLII LACTANTII FIRMIANI DIVINARUM INSTITUTIONUM ADVERSUS GENTES, AD CONSTANTINUM IMPERATOREM, LIBER PRIMUS.

E REGIONE HUIUS PAGINÆ PRIMÆ HÆC LEGUNTUR : *Correctum volumen hoc juxta censuram admodum Rev. Patris Jo. Maria Brasichel, sacri Palatii apost. magistri, anno 1607, a summo pontifice, Paulo V constituti, ordinis Fratrum Prædicatorum generalis electi, anno 1608, atque in amplissimo cardinalitæ dignitatis gradu anno 1611 colati.*

PORRO AD MARGINEM HÆC INFRA LEGUNTUR :

De Lactantio Firmiano plura S. Hieronymus in Catalogo et epistola 83, ad Magnum, quem mirifice ab eloquentia laudat. Cæterum ne contingat quempiam in Lactantii operum lectionem impingere, præmonendus lector, quam ipsi circumspecte et suspensio pede in pervolvendis ejusdem auctoris scriptis sit. Eundem S. Damasus romanus pontifex epistola ad S. Hieronymum, quæ est 124 inter Hieronymi epistolas, hæc ait : « Fætor quippe tibi eos, quos jampridem Lactantii dederas libros, ideo non libenter lego, quia et plurimæ epistolæ in eis usque ad millia spatia versuum tenduntur, et raro de nostro dogmate disputant. Quo fit, ut et legenti fastidium generet longitudo; et si quæ breviter sunt, scholasticis magis sint apta, quam nobis, de metris, et regionum situ, et philosophis disputantia. »

Hæc S. Damasus : sed et S. Hieronymus, epist. 43, ad Paulinum inquit : « Lactantius quasi quidam flavius eloquentiæ Tullianæ, utinam tam nostra confirmare potuisset, quam facile aliena destruxit! » Et I. II, in Epistolam ad Galatas cap. IV, ait : « Multi per imperitiam Scripturarum (quod et Firmianus in octavo ad Demetrianum epistolarum libro facit) asserunt Spiritum sanctum, sæpe Patrem, sæpe Filium nominari. » Rursum Apologia ad Pammachium et Oceanum inquit : « Lactantius in libris suis, et maxime in epistolis ad Demetrianum, Spiritus sancti omnino negat substantiam et errore judaico dicit, eum ad Patrem referri, vel ad Filium; et ad sanctificationem utriusque Personæ sub ejus nomine demonstrari. Quis mihi interdicere potest, ne legam ejus institutionum libros, quibus contra gentes scripsit fortissime, quia superior sententia detestanda est? » Hætenus S. Hieronymus.

S. Gelasius in concilio romano sic pronuntiat : Opuscula Lactantii apocrypha. Ita sane S. Pontifex, gravi maturoque iudicio censuit. Nam in his Lactantii operibus multiplices errores et sententiæ a puritate orthodoxæ doctrinæ discrepantes. Earum indicem magister Antonius Raudensis ad finemque librorum Lactantii attexuit. Verum et Francisco Philadelpho lib. IV Epistolarum, et multis eruditissimis (est) censuras Raudensis in quibusdam nimium atroces,

in aliis ineptas, multaque alia castigatione digna A omisisse.

Libro 1, ad caput 7: *Verum quia*, etc. Cautè lege ista omnia ad finem usque capituli, nam vehementer abhorrent a more loquendi theologorum: neque enim Deus a se ipso genitus est, aut procreatus, cum nihil magis impossibile (sit) quam aliquid seipsum generare aut producere; nec videntur verba Lactantii in bonum aliquem sensum posse reduci, nisi negative; *a se ipse genitus*, id est, *non ab alio genitus*. Denique in hac causa, quam illud absurdum: *feri non potest, quin id quod sit, aliquando esse ceperit*. Vide *Apparatum sacrum* Possevini in Gilberto Genebrardo.

Libro 11, ad caput 14: *In centum et xx annis*. Dissentiunt ab hac Lactantii opinione, quæ etiam fuit Josephi, S. Hieronymus in traditionibus hebraicis in Genes. vi. S. Chrysostomus Homil. 20, in Genesim, et plerique ferme omnes. Vide Sixtum (Senensem) lib. v Bibliothecæ, annotat. 75, et recentiores interpretes in vi Genesim.

Eodem libro 11, capite 15, *Cum ergo numerus hominum*, etc. Circumspecte legendum hoc caput, nam nonnullos errores Lactantius implicat. Primus est, Deum ab initio tribuisse diabolo terræ potestatem. Secundus, angelos non missos ad hominum tutelam, nisi postquam genus humanum cõpisset incresecere. Tertius, præcepisse Deum bonis angelis, ne terræ contagione macularentur, ne substantiæ celestis amitterent dignitatem. Quartus, diabolum paulatim pellexisse bonos angelos ad vitia, et eos mulierum congressibus inquinasse. Quintus, hoc esse peccatum, ob quod angeli e cœlo ceciderint. Sextus, e congressu illo angelorum cum feminis natum esse tertium genus eorum, qui neque angeli cœlestes, neque homines, neque dæmones inferni fuere; sed sobolem quamdam terrestrium dæmonum, qui sunt hominum tentatores, deceptores, magicarum artium et humanarum calamitatum ac malorum auctores. Sunt omnia ista dogmata absurda, erronea, et a sincera theologorum doctrina prorsus aliena. Consule Sixtum (Senensem) lib. v Bibliothecæ, annotat. 77, et alios interpretes capit. vi Genesim.

Libro 11, capite 24: *Quid illi qui esse contrarios*, etc. Quod Antipodes cum aliis priscis auctoribus Lactantius tollat, refellitur evidentia perspicua novi orbis, et auctoritate quoque insignium ex antiquitate scriptorum, ut fuse demonstrat F. Thomæ Malvenda lib. 11 de Antichristo, cap. 14. Quæ vero contra cœli volubilem rotunditatem disserit, etsi eadem quoque nonnulli philosophi et Patres docuisse reperiantur, at revincuntur aperte, et auctorum testimoniis, et claris philosophiæ astronomiæque demonstrationibus. Vide quæ eodem loco (Thomæ Malvendæ) notantur.

Eodem libro 11, capite 25: *Nunc pauca nobis de Philosophia*, etc. Cautè lege hoc caput; nam si Lactantius omnem antiquorum Gentilium philosophiam reprehendit, non satis consulte facit, cum multa et vera, et recta illa philosophia contineret, quæ usui et utilitati humanæ vitæ essent. Si vero philosophiam in universum damnat, nullo pacto ferendus est, et repugnat communi Patrum et Ecclesiæ sensui. Vide Alphonsum Casium libro xiii adversus Hæreses, verbo *Scientia*.

Libro vi, capite 2: *Mactant igitur opimas ac pingues*, etc. Cum iudicio accipe quæ hoc capite Lactantius disserit de non accendis candelis et cereis in templis; nam ut recte invehitur in gentilium et superstitosum ethnicorum ritum: ita satis improvide ansam Novatorum quibusdam præbuisse videtur carpenti pium et religiosum morem accendis cereos et lampades in ecclesiis ad altaria, ad reliquias martyrum, etc., quem quoque sanctum usum impius Vigilantius sugillabat. Vide Bellarm. lib. de Reliquiis Sanctorum, cap. 3 et 4; et Baronium tom. 1 Annalium, anno Domini 58.

Eodem libro vi, capite 20: *Non enim cum occidere Deus vetat*, etc. Cautè lege decem aut undecim istas lineas; nam duo docet Lactantius a recta theologiæ ratione prorsus abhorrentia. Primum, non esse licitum occidere hominem in iudicio et a publica potestate, neque accusare quemquam crimine capitali, qui est manifestus error. Vide S. Thomam 22, quæst. 64, art. 2 et 3, ejusque interpretes; et Bellarminum libro 11 de Laicis, cap. 12 et 13. Secundum, neque licere christianis militare, quæ fuit hæresis Manichæorum, et nostro sæculo Erasmi aliorumque Novatorum. Vide S. Thomam 2-2, quæst. 40, art. 1, ejusque interpretes; Sixtum lib. vi Bibliothecæ, annot. 156; Bellarmin. lib. 11 de Laicis, c. 64.

Eodem libro vi, capite 25: *Nunc de sacrificio ipso*, etc. Non satis cordate disputat hoc capite Lactantius de externo Dei cultu, templis eorumque ornato, donariis, sacrificio; videtur enim omnem externum Dei cultum improbare. Equidem præcipuum Ecclesiæ sacrificium Eucharistiæ externum quoque magna ex parte est, et externo ritu macatur. Insuper etsi cultus internus mentis et spiritus sit præcipuus, et quem magis ab unoquoque nostrum requirit Deus; nam ille externus sine interno non affert salutem christiano: at externus Dei cultus ex se pius, sanctus, bonus, et Deo gratus est; externaque ornamenta Ecclesiarum, quæ partim in fabricis, partim in vasis aureis, vestibus sericis, etc. consistunt, ex ipso suo genere faciunt ad pium et sanctum Dei cultum; et contrarium sentire hæresis est Petrobrussianorum et Wiclefistarum, ac Novatorum nostri temporis. Vide Bellarminum lib. 11 de Cultu Sanctorum, cap. 6; et (Baronium) tom. 1 Annalium anno 57.

Quod vero attinet ad mentem Lactantii hoc capite, eum in bonum sensum recte reducit Thomasius in Notis, quas hic ad finem capituli affixit; tametsi Lactantius non satis circumspecte loquatur.

Libro vii, capite 14: *Sciant igitur philosophi*, etc. Sex millium annorum spatio totam mundi durationem, nedum hic Lactantius, sed multi quoque alii Patres includere; quorum sententiæ hac in re singulares quemadmodum sint accipiendæ, fuse demonstrat P. Thomæ Malvenda theologus Dominicanus lib. 1 de Antichristo, cap. 28, 29, 30. Vide Sixtum lib. v Bibliothecæ, annot. 190.

Eodem libro vii, capite 27: *Propheta magnus mittetur a Deo*, etc. Lactantius haud probe tenens vaticinium Apocalypsis xi, quæ ibi de duobus prophetis Henoch et Elia tempore Antichristi venturis predicantur, ipse uni tantum hic tribuit. Vide librum de Antichristo P. Thomæ Malvendæ theologi Domini-cani lib. ix, cap. 16, ad finem.

Eodem libro vii, capite 19: *Oppressio igitur orbe terræ*, etc. Lactantius sarrarum Scripturarum non satis peritus, ut ait S. Hieronymus, verba Apocalypsis xvi haud penitus introspectiens, quædam hoc capite de Antichristo non satis consona prodiit: accurate excutiuntur ea lib. x de Antichristo Thom. Malvendæ, cap. 11 et 15.

Eodem libro vii, capite 21: *Igni sempiterno cuius natura*, etc. Tametsi non sit erroneum aut temerarium asserere, ignem inferni esse alterius naturæ ab hoc nostro elementari, dummodo verus et corporeus ignis agnoscat: at melior et probabilior theologorum sententia est, esse ejusdem naturæ et speciei cum hoc nostro, quibusdam tamen qualitatibus distinctum. Vide Dominicum Bannes 1 parte Quæst., artic. 2, dubio 2, conclus. 2.

Eodem capite 21: *Sed et justos cum judicaverit*, etc. Error iste Lactantii de expurgandis igni justorum corporibus post universale iudicium, rejectus est ab scholis theologorum. Vide Sixtum lib. v Bibliothecæ, annot. 170, 171.

Eodem capite 21: *Nec tamen quisquam putet*, etc. Hæresis est manifesta, ab Ecclesia damnata, asserere animas justorum corpore solutas, ac nulla purgatione egentes, non statim admitti ad clarum Dei

visionem, seu essentialem beatitudinem. Cujus quoque erroris fuisse videtur Lactantius; nam ejus verba vix quidem admittunt sanum intellectum. Vide Sixtum libro vi Bibliothecæ, annot. 343; Belarminum lib. i de Sanctorum Beatitudine, cap. 1, 2, 3, 4, 5, 6; Coccium tom. i Thesauri Catholici lib. v, artic. 2.

Eodem, lib. vii, capite 22: *Hæc eos ratio sefellit*, etc. Hic addito scholion inferius positum ad cap. 21.

Eodem libro vii, capite 24: *Nunc reliqua subnectam*, etc. Quæ tribus istis postremis hujus libri capitibus, nempe 24, 25, 26. Lactantius prolixè disputat de resurrectione prima hominum, de auro Christi mille annorum regno in terris post resurrectionem primam; de alligacione diaboli per

A mille annos, ejusque solutione, ac prælio Gog et Magog, ex perperam intellectis vaticiniis Apocalypsis xx, sunt ea fere omnia a sensu Scripturæ sacræ, et ab Ecclesiæ sanctorumque Patrum doctrina prorsus aliena, ac palam erronea, ut fuse ostendit P. Thomas Malvenda, theologus Dominic., lib. x, de Antichristo a cap. 3, ad 11.

Eodem libro vii, capite 25: *Jam superius ostendi*, etc. Vide notam superius ad cap. 24. Quod autem hic addit Lactantius, a suo tempore ad finem usque mundi tantum superfuisse ducentos annos, et experientia ipsa, et manifesta ratione erroris convincitur. Vide librum de Antichristo Patris Thomæ Malvendæ, theologi Dominicani, lib. ii, caput 30.

PROPOSITIONES

QUÆ IN LACTANTIO REPERIUNTUR

AD FIDEM PERTINENTES, A CATHOLICIS CAUTE LEGENDÆ, IN NOTIS,
VEL PIO SENSU EXPLICATÆ, VEL CONFUTATÆ, EX EDITIONE ISÆI DESUMPTÆ.

Ex sunt numero quatuor et nonaginta: loca vero, ubi B toto in opere sparsim antehac periculose legebantur, supra centum et septuaginta.

1. Deum, amotis Angelis, solum vel solitarium esse, lib. i Institut., cap. 7; lib. iv, cap. 8.

2. Deum Angelos, vel homines genuisse, lib. i, cap. 7; lib. ii, cap. 15.

3. Deum ex se ipso genitum, factum, vel procreatum esse, lib. i, c. 7; lib. ii, c. 9.

4. Temporum usum supervacuum, lib. i, c. 20; lib. ii, c. 2; lib. v, c. 8; lib. vi, cap. 25; lib. de Ira Dei, cap. ult.

5. Non altaria Deo extruenda, non sacrificia facienda, lib. i, c. 20; lib. ii, c. 2; lib. vi, c. 1, 20 et 25; lib. vii, c. 6. Epitom., c. 2. lib. de Ira Dei, c. 21.

6. Non munera Deo offerenda, non templa exornanda, lib. ii, c. 4; lib. v, c. 8; lib. vi, c. 1 et 25. Epitom. c. 2; lib. de Ira Dei, c. 21.

7. Imaginum usum supervacuum esse, lib. ii, c. 2, 3, 7, 18 et 19.

8. Hominem esse hominis animam: corpus autem hominis animæ ipsius vas, receptaculum, hospitium, domicilium, vestem, indumentum esse, lib. ii, c. 2, 3 et 13; lib. iii, c. 18; lib. iv, c. 24 et 26; lib. v, c. 22; lib. vii, c. 12; lib. de Opificio Dei, c. 1, 4 et 20.

9. Brutis rationem inesse, et ab homine sola religione differre, lib. ii, c. 3 et 9; lib. iii, c. 10; lib. vii, c. 9; lib. de Ira Dei, c. 7.

10. Sapientiam omnibus hominibus æqualiter a Deo datam esse, lib. ii, c. 8; lib. iii, c. 25.

11. Deum ad excogitandum prudentissimum esse, lib. ii, c. 9. (*Vide p. 143, not. ad lin. 5.*)

12. Dei Filium Dei spiritum esse, lib. ii, c. 9; lib. iv, c. 6, 8, 9 et 18.

13. Supremum Angelum ante mundi molitionem creatum fuisse, lib. ii, c. 9.

14. Supremum Angelum divinam stirpem extitisse, lib. ii, c. 9.

15. Supremi Angeli peccatum fuisse peccatum invidiæ, lib. ii, c. 9.

16. Dei Filium Deo Patri perseverando probatum fuisse, lib. ii, c. 9.

17. Verbum Dei primum et maximum Dei Filium inter Angelos esse, lib. ii, c. 9; lib. iv, c. 8, 10 et 14; juxta unam lectionem, libi, principem Angelorum.

18. Corpus hominis esse animæ septum, vinculum, laqueum, custodiam, carcerem, lib. ii, c. 9; lib. vii, c. 2, 5, 8, 12. *Hæc jam supra. propositione 8.*

19. Duo principia, et duos rerum duces esse, alterum bonarum, alterum malarum, lib. ii, c. 10, 15, 18; lib. vi, c. 3 et 6.

20. Animæ materiam in calore esse, lib. ii, c. 10.

21. Animam humanam ignem esse, lib. ii, c. 13.

22. Animam humanam ex Dei spiritu, vel ex Dei substantia esse, lib. ii, c. 15; lib. vii, c. 12.

23. Adam fuisse ab initio boni ac mali nescium, sed ab esu vetiti fructus adeptum boni ac mali scientiam, lib. ii, c. 15.

24. Justorum animas post universale judicium in paradysum terrestrem introductum iri, lib. ii, c. 15.

25. Deum post diluvium vitæ hominum metam in centum et viginti annis collocavisse, lib. ii, c. 14.

26. Angelos a Deo missos ad custodiam atque tutelam humani generis, cum numerus hominum cepisset incrementum, lib. ii, c. 15.

27. Eis Deum præcepisse, ante omnia, ne terræ contagione maculati substantiæ cœlestis amitterent dignitatem, *ibid.*

28. Eos subinde a diabolo ad vitia pellectos, et mulierum congressibus inquinatos fuisse, *ibid.*

29. Idcirco propter eorum peccata non ultra receptos in cœlum, in terram decidisse, *ibid.*

30. Eorum autem filios, quia neque Angeli, neque homines fuerunt, sed mediam quamdam naturam gerentes, nec ad inferos nec in cœlum receptos fuisse, *ibid.*

31. Ita duo genera dæmonum facta fuisse, cœlestem unum, terrenum alterum, *ibid.*

32. Dæmones aliquod solatium acquirere ex hominum perditione, lib. ii, c. 15.

33. Dæmones esse quosdam spiritus tennes, et incomprehensibiles, lib. ii, cap. 15.

34. Dæmones hominum valetudinem vitare, lib. ii, c. 15.

35. Dæmones nullum sibi honorem appetere, lib. ii, c. 17.

36. Deum vere et proprie quibusdam affectibus commoveri, lib. ii, c. 18; lib. de Ira Dei, c. 2, 15 et 16.

37. Deum vere et proprie irasci, lib. ii, c. 18, et toto lib. de Ira Dei, præsertim, c. 16 et 17.